

millia capitum excefferunt, reparare nondum potuit. *b)* Sic Indis melior tyrannidis Hispanicæ vindicta vix restabat, quam si à conjugis abstinendo loca cultissima ad solitudinem redigerent. Idem vulnus Bohemiæ, Silesiæ aliisque provinciis inflixit inquisitio Pontificia, cui tamen Misnia, Lusatia & Vogtlandia in acceptis referant, quod expulsis ibi orthodoxis, multitudinem subditorum bello diuturno exhaustam, reficere ac resarcire potuerint.

*a)* Plin. lib. 7. epist. 31. *b)* Nicias ap. Thucyd. lib. 7. *c)* Scilurus ap. Plutarch. apophth. *d)* Ovid. epist. Heroid. 16. *e)* Bodin. lib. 4. de rep. cap. 1. *f)* Tacit. mor. Germ. cap. 41. *g)* Joh. de Laet. Hisp. p. 101. seq. *h)* Lanf. Consult. Orat. 6. contr. Hisp. p. m. 433.

aucta Viris  
per asylum  
cap. 8.

XV. Colligendi igitur viri, nec relinquendæ mulieres; sine his enim *etatem duratura magnitudo erat*; sine illis *robur deerat*. Hinc major virorum cura *aperto asylo*. Vetus asylorum est mos, & à Cadmo Thebis, à Theseo vero Athenis institutus, *a)* ut paucitati civium consuleretur, quemadmodum etiam Romulus ad eundem finem respexit. Ast repleta populis republica, cum in honorem Deorum remanerent asylorum sacra, refugium datum fuit innocentiae, quod non solum apud profanos, sed & apud Judæos, ipsius Dei jussu obtinuit. *b)* Successu autem temporis optima hæc consuetudo in pessimam degeneravit peccandi impudentiam. Tiberii enim tempore, *crescebat Græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi: Complebantur templa pessimis servitorum: eodem subsidio obarati adversum creditores: suspectique capitalium criminum receptabantur*. Quare modum asylorum ex antiquitatis inspectione per senatum ponere iussit Tiberius *c)* Hodie asylorum privilegia referunt sanctuaria Pontificiorum *d)* & impunitas concessa apud Hispanos maleficis, si velint in Indiam aliaque loca militatum abire. *e)*

*a)* Plutarch. in Theseo *b)* Num. 35. 6. Deuter. 4. 41. Josue 20. 2. *c)* Tacit. Annal. lib. 3. cap. 60. *d)* Arnob. Relect. Polit. lib. 1. cap. 3. sect. 8. *e)* Zevcot. in Flor. h. 1.

Mulieribus  
per raptum  
cap. 9.

XVI. Repleta erat viris Civitas, sed unde mulieres? asylum ipsis aperiri non poterat, ut false Romanos exteri irridebant, aliud igitur arripiendum consilium: Petebantur per Legatos exterarum connubia, quæ *cum injuste negarentur, justè auferebantur*. *a)* Indignum enim videbatur id prohibere velle homini, ad quod  
ipsum